



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Daniel Abbas. 21. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Ipsi nosmetipsos tentamus nil non concedentes sensibus nostris, & corpus otio ac delitiis circumfluens delicatius tractantes. Alios item ad peccatum sollicitamus tum verbis, tum exemplis. Ipsi dæmonitentionum occasiones suppeditamus, pravis rebus legendis, audiendis. *Cur liceat audire quæ facere flagitium est?* Tertull.

3. S. Petrus triplicem nobis suggerit vincendarum tentationum rationem, nimirum ut sobrii, vigilantes & fideles simus. Sobrietate omnis ferè libido restringitur, Vigilantiâ & diligenti examine actionum eluduntur dæmonis insidiæ, fide demum omnes inimici profligantur. Non enim vinci potest qui sperat paradysum, & qui timet infernum.

S. DANIEL ABBAS.

21. Julii.

Habentes alimenta quibus tegamur his contenti simus, nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. 1. Tim.

cap. 6. v. 9.

Impetraverat à Deo DANIEL hæredem viro, quocum illi hospitii familiaritas intercesserat. Itaque hic, eum patronum, at malevoli patrem etiam pueri vocabant. Sed pro innocentia pronuntiavit innocentia altera. In-

fans

fans nuper natus, qui iussus à DANIELE pa-
 trem palam edicere, digito in verum paren-
 tem coniecto, hic, aiebat pater meus est, at-
 que ita simul patronum suum absolvit, simul
 calumniatores improbos damnavit. Sub
 hæc, cum DANIEL Eulogium latomum cer-
 neret, in egentes præ aliis piùm, precari apud
 Deum institit, plures opes submitteret tam
 benè prodigo. Et annuere Deus est vitus, si
 pro Eulogio sponderet, divitias fraudi mo-
 rum integritati non futuras. Convenit, spo-
 pondit Daniel. Igitur Eulogius cum saxis
 thesaurum eruit, ad aulam abit, honores
 mercatur, struit palatia emit mancipia,
 splendidè ac lautè victitat. Adest DANIEL of-
 ficii sui amicum commonefacturus, sed sur-
 dam, ad pauperis vocem, januam reperit,
 verberibus pro stipe oneratus. Anxius proin-
 de, cum à Christo crucifixo exsolvi vadimo-
 nio postularet, annuit Filii nomine Mater
 Magna, mox etiam ipse Filius eâ lege, ne si-
 mile posthac vadimonium faceret impru-
 dens. Interea Eulogius mortuo imperatore,
 honorum fastigio opibusque omnibus exci-
 dens, in latomias suas postliminio devolvi-
 tur, mox cum paupertate pauperum amor,
 & unâ virtutes omnes ab exilio revocantur.

Tam malè, ò Divites, vitæ sanctitati cum divitiis, tam benè cum paupertate convenit
Ex Petr. de Nat.

MEDITATIO.

De Copia & innopia.

1. **E**xpertus est Daniel in Eulogio suo quam periculofum fit in via salutis abundare. Divitiæ affluant non appone cor, *quid ponimus cor in terra, cum videamus quia evertitur terra* S. August. Serm. 29. de verb. dom. Et sinus Domini divitiarum. Neque divitiæ dominantur nobis, impediens nobis liberum earum usum. Non inhereamus. S. Wigo tranquil. animi cap. 9. *Scarabæus cuncta intuens pulchrum eligit, sed sic ubi jacent stercora eis insidet, sic nimis divitis negligit celum & æterna & terrenis inhaerens, qua Paulus arbitratur ut stercora.*

2. Abundantia inducit oblivionem Dei, & expellit timorem; Id expertus est Daniel in Eulogio. *Incrassatus est dilectus & recalcitravit. Incrassatus impinguitus dilatatus dereliquit Deum factorem suum.* Deut. 32. cap. v. 15. Res angusta conservat timorem Dei, gratitudinem pro pane quotidiano, avertit otium & luxuriam vitia, *quia labores manuum tuarum manducabis, beatus, es, & bene tibi erit.* Ps. 127. quomodo te geris vel in copiâ vel in tenuitate tuâ?

3. Disce ex Boëtio Phil. lib. 2. profa 4, sorte tuâ Deo data contentus vivere. *Quisque cum fortuna sua conditione concordet: inest enim singulis quod inexpertus ignorat, & expertus exhorreat.*

S. MA